

quidem in momento transeant, attamen certis et à reliquis distinctis venarum, arteriarum, neruorum, musculorum, etc. ductibus permanentibus & Solidis sibi convenientibus seorsim et distinctim deferuntur.

Adhæc inter partes quasdam certas certæ sunt, occultæ, et sine subiecto certo solitariæ profluentiarum lineæ, per quas affectio vnus in aliam transit.

Idem de Animi iudicandum simulacris, et rebus externis alijs.

Quorum & his similium consideratio veram præbet & internam Rerum Anatomem.

Vtrum & qua ratione Animal, Animo, Visu etc. operari possit in Exteriora.

An Animalium Animi simulacra migrare ex subiecto suo seu corpore eorū redire valeant, & quæ vel interea vel animali mortuo eorum conditio.

Qui animus quandoq; in seipso & præsentia, & præterita, et futura adeoq; absentia cognoscat & prælagiat.

Qui non tantum Animantia sed res quoq; cæteræ nitantur in vetitum.

Vnde hoc sit: Scio meliora proborū, deteriora sequor.

Animalia quædam Profluentias corporum plures seu plura obiecta externa seu extra sensus sui organum sita percipere, alia pauciora, eademq; in alijs magis & perfectius, in alijs obscurius & minus se exerere h, e, Sensibus Exterioribus Animalia alia pluribus, alia paucioribus, & quidem in singulis nunc magis nunc minus prædita. Contactus tamen seu applicationis corporeæ & crassæ sensum seu perceptionem (quam exteriori signo mox declarant) omnibus inesse Animalibus.

Eodem modo profluentijs iisdem seu speciebus quæ exterius ante inciderunt, & iam interius hærent, sic alias interius item se exhibentibus, Animalia alia alijs & numero et virtute antecellere, h, e, Interiores etiam sensus in alijs animantibus plures, in alijs pauciores, in alijs vegetiores, in alijs obtusiores deprehendi. Sicut & Corporis aptitudine, substantia, forma, magnitudine, robore etc. Animantia inter se differunt.

Necq; tantum inter Species diuersas varietas dicta locum habet, sed vnus etiam & eiusdem speciei vel specialissimæ perhibita subiecta diuersa interius et exterius sic differunt, vt alias atq; alias inter se species referre videantur. Nuncq; etiam Individua duo plane et per omnia sibi sunt similia, in quibus præ-